

dictam diem S. Michaelis dictum arbitrium non posset terminari, de consensu dictarum partium, possit prorogari. Item quod arbitri possint pronunciare semel, & secundo, & in absentia alicujus partium per contumaciam.

Anno eodem, & indictione IV., die lunæ secundo exeunte septembri (2) in Castelleto Aquis præsentibus fratre Manfredo de Frascheta, Jacobo Poblino, Terrino notario, Garav de Infula, & Belengio notario de Vigesimo, Nos Otto Aquensis Electus, & Arnaudus Archipresbiter de Vigesimo arbitri supradicti ita statuimus, pronunciamus, & definimus, ut sententia lata per D. Anselmum quondam Aquensem Episcopum super jure parochiali inter prædictos Canonicos, & Abbatem, & Monachos, & taciturnitate temporis corroborata, ac per D. Terdonensem Episcopum postmodum auctoritate Apostolica confirmata, rata, & firma permaneat, & in posterum inviolabiliter observetur salvo eo quod si aliquis, vel aliqua de civitate, vel suburbio in infirmitate constitutus, vel constituta ob reverentiam Monasterii, vel Abbatis, vel Prioris ab eis consilium animæ voluerit accipere, hoc ei liceat, si tamen proprii sacerdotis consilium habuerit. Item eo salvo quod si aliqui pro audiendis divinis officiis visitare monasterium voluerint, non prohibeantur, salvo his, quæ in sententia præmissa prohibita sunt. Quæ in fine sententiæ caventur *salvo jure Capellani*, ita interpretamur, & definimus, ut postquam confiterit Capellanum obedientiam fecisse Episcopo, & majori Ecclesiæ liberam habeat facultatem visitandi, & pœnitentias dandi, & missas, & officia celebrandi iis, qui monasterium duxerint visitandum, ita tamen quod ad ea, quæ superius sunt prohibita, manus suas non extendat, videlicet quod non liceat nec sponsas benedicere, scapsellas imponere, mulieres surgentes a partu recipere. Item si Episcopus fuerit præsens ad candelas benedicendas, Monachis candelas benedicere non liceat, sed sufficiat Episcopalis benedictio, & absolvimus partem monasterii a petitione expensarum factarum circa litem post appellationem omni modo, unde jam dictus D. Electus, & D. Arnaudus Archipresbiter hanc chartam fieri præceperunt.

Ego Petrus notarius Sacri Palatii interfui, & jussu prædictorum D. Electi, & D. Arnaudi Archipresb. arbitrorum hanc chartam scripsi. Ego Ubertus notarius Palatii de Aquis de mandato D. Alberti Episcopi ec.

(1) Millo secundum aliam lectionem. (2) In quodam exemplari quondam Francisci Turrii habetur intrantis, sed male.

*Testamentum Henrici Canefri pro Ecclesia
B. Francisci de Caxinis.*

181

MCCXXXII.

Anno a Nativitate Domini MCCXXXII., indictione V., die Mercurii quinto martii (1) in Alexandria. Henricus Canefrus cupiens de rebus suis disponere, & testamentum nuncupativum condere. In primis constituit Sibiliam uxorem suam heredem ex affe sub hac conditione, si dicta Sibilia infra annum unum a tempore obitus dicti Hen-

rici intraverit religionem, ad quam religionem vult dictus Henricus quod hereditas sua pervenire debeat pro redemptione animæ suæ, & dictæ Sibiliae, & antecessorum suorum. Et si dicta Sibilia infra dictum tempus antequam intraverit religionem, decederet, vel nollet intrare, vult dictus Henricus, & ordinat, quod hereditas, & bona sua distribui debeant in operibus misericordiæ, & specialiter in Ecclesia B. Francisci de Caxinis, in voluntate, & arbitrio fratrum ibi commorantium, & specialiter in libris necessariis, & in laborerio ejusdem Ecclesiæ. Et distributio, & custodia bonorum hereditatis dicti Henrici fieri debeat a tempore obitus dicti Henrici in antea per Fr. Jacobum Barberium, & per Fr. Manfredum de Palatolio. Item legat, & relinquit dictus Henricus, si dicta Sibilia intraverit religionem, si non, Ecclesiæ B. Francisci de Caxinis libras decem octo papienses pro libris necessariis dictæ Ecclesiæ, & laboreriis ejusdem Ecclesiæ eo modo, quo Fr. Jacobus, & Fr. Manfredus prædicti possint vendere, & debeant de rebus, & de bonis dicti Henrici, & dictæ Sibiliae tantum, quod bene solvant prædictas libras decem & octo, secundum quod fuerit de voluntate fratrum dictæ Ecclesiæ. Item legat, & relinquit Ecclesiæ sancti Quirici de Castronovo solidos centum papienses, quod dictus Henricus debet habere de pretio duorum boum a Villano, & Jacobo, & Ruffino Cecalla de Castronovo, pro calice argenteo emendo dictæ Ecclesiæ, de quo dicta Ecclesia fervire debeat, & debeat ibi esse prædictus calix in perpetuum sine aliqua alienatione, aut obligatione dicti calicis. Item legat, & relinquit nepotibus suis Nicolino, & Antelmo filiis fratris sui Baulini quondam, & Ugoni, & Francisco filiis quondam Oberti pariter fratris sui sedimen unum, quod jacet in monte Caxinarum, coherent ei heredes D. Truchi, & via publica. Item aliud, quod jacet subtus Rocham, coherent ei Baldeconus de Viliolis, & Vermus Barattus, & via publica. Item legat petiam unam terræ, quæ jacet in Ruellis, & est quartericia, coherent ei Rubeus & Petrus Gota. Item aliam petiam, quæ jacet in Vilerio, & est allodium, pro qua teneantur solvere granum, quod Arnoldus Canefrus quondam frater suus reliquerat Ecclesiæ S. Mariæ de Tilieto, coherent heredes Marevolli de Burco, & via publica. Item aliam petiam, quæ jacet in podio Vilerii, & est quartericia, coherent ei D. de Viliolis, & via. Item vineas suas de Noxeto, & de Bagnareis, & teneantur de vino vineæ Noxeti dare sextaria duo vini Ministris fratrum Pœnitentiæ de Caxinis, & prædicti fratres teneantur dare dictum vinum FF. Minoribus de Caxinis. Cohærent D. Ruffinus, Ugonus Ardezonus, Vermus Ghiglius Gerardi quondam, & vineæ Bagnarei D. Anselmus Canefrus, & Henricus Barbus. Item aliam petiam terræ jacentem in valle Millina, coherent ei Farrarius de Villiolis, & via publica. Hæc est ultima sua voluntas, & cassat, & irritat omnia ordinamenta præcedentia per dictum Henricum facta, quæ si non potest valere jure testamenti, saltem valeat jure codicillorum, & omni jure ultimæ voluntatis. Et inde hanc chartam fieri